PF5426
W28
1849
MAIN




I.

Qualis fuerit lingua Francorum.

Veteris linguae francicae condiciones nondum satis in aperto sunt. Etenim si nomen Francorum iam principio varias gentes mixtas variasque complexum est linguae differentias et postea nonnunquam ad omnem Germaniam cunctosque populos Francorum imperio subiectos pertinuit; si non ille tantum francicus fuit sermo, quo praeter linguam romanicam utentes populi atque reges Argentariae sacramenta iuraverunt, sed ea quoque inter francicas numeranda est dialectos, quam capitulare Hludovici regis exhibet e corpore Ansegisiano germanice redditum; si ipsis denique Hollandiae et Flandriarum incolis, qui inde a saeculo XIII. literis uberrimis linguam excoluerunt excultamque etiam nunc servant, sibi suaeque dialecto francicum nomen, ut videtur, iure ac merito licet vindicare: res difficillima est diiudicatu, quid generatim de vetere lingua francica sit sentiendum et qua ratione certi constituendi sint fines inter veterem linguam francicam et ceteras superioris Germaniae dialectos, sive, quum lingua alamannica facile iam a saeculo VIII. vel IX. ceteris praevalere coeperit, inter linguam francicam interque linguam alamannicam. Quaecunque e nominibus propriis apud veteres scriptores repertis atque e glossis legis salicae legisque Ripuariorum promi et quasi elici potuerunt ad percipiendas linguae francicae proprietates, perpauca

187156

Digitized by Google


by Google

DE LINGUA FRANCICA RHENI INFERIORIS.

DISSERTATIO GRAMMATICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

UNA CVM THESIBUS ADIECTIS

DIE XXI. MENSIS MARTII A. MDCCCXLIX.

PUBLICE DEFENDET


GUILELMUS WAHLENBERG

IULIACENSIS.

SPECIMEN I.

ADVERSARIORUM MUNERE FUNGENTUR:

C. KRUSE, PHIL. STUD.
J. RANGEN, PHIL. STUD.
H. ROEREN, MED. DD.


LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CALIFO

BONNAE,


FORMIS F. P. LECHNERI.

MDCCCXLIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

PF5426
W28
1849
MAIN



I.

Qualis fuerit lingua Francorum.

Veteris linguae francicae condiciones nondum satis in aperto sunt. Etenim si nomen Francorum iam principio varias gentes mixtas variasque complexum est linguae differentias et postea nonnunquam ad omnem Germaniam cunctosque populos Francorum imperio subiectos pertinuit; si non ille tantum francicus fuit sermo, quo praeter linguam romanicam utentes populi atque reges Argentariae sacramenta iuraverunt, sed ea quoque inter francicas numeranda est dialectos, quam capitulare Hludovici regis exhibet e corpore Ansegisiano germanice redditum; si ipsis denique Hollandiae et Flandriarum incolis, qui inde a saeculo XIII. literis uberrimis linguam excoluerunt excultamque etiam nunc servant, sibi suaeque dialecto francicum nomen, ut videtur, iure ac merito licet vindicare: res difficillima est diiudicatu, quid generatim de vetere lingua francica sit sentiendum et qua ratione certi constituendi sint fines inter veterem linguam francicam et ceteras superioris Germaniae dialectos, sive, quum lingua alamannica facile iam a saeculo VIII. vel IX. ceteris praevalere coeperit, inter linguam francicam interque linguam alamannicam. Quaecunque e nominibus propriis apud veteres scriptores repertis atque e glossis legis salicae legisque Ripuariorum promi et quasi elici potuerunt ad percipiendas linguae francicae proprietates, perpauca

187156

ERSITY OF
BERKELE
Digitized by Google

sunt eademque saepenumero dubia; iurisiurandi vero illius verba atque mensium ventorumque quae in Einhardi vita Caroli magni leguntur nomina ab Alamannorum sermone non tam longe discedunt, quorum causa linguae germanicae grammatica singularem ponere queat dialectum francicam alamannicae omnino opponendam. A vero tamen non valde, puto, aberrabis, si varias dialectos francicas ex Alamannorum Saxonumque linguis magis minusve commixtas atque medias quasdam fuisse dialectos arbitreris; id quod ex situ quoque medio terrarum quas Franci obtinuere videtur colligendum esse. Itaque haud pauca, quae germanicae Isidori et Tatiani conversionis, quin etiam carminis Otfridani propria sunt, ad francici sermonis consuetudinem non iniuria trahere licebit, praesertim quum Otfridus ipse linguam suam non modo theotiscam, verum etiam „frenkisga zungun“ nominare soleat. Ad ripas autem Rheni inferioris, in tractibus illis, quos superiori aetate Ubiorum gens tenuit, per medium aevum linguam reperimus literarum monumentis satis frequentibus contestatam, quae evidenter sese id genus dialectum mediam ex altera lingua in alteram transeuntem exhibet et cui certo licet nomen indere francicum: neque quidquam dubitamus ex aetate superiori translationem quoque capitularis illius Hludoviciani eidem dialecto si non supponere, tamen uti cognatione proximam adiungere, praesertim si linguae cuiusque dialectos quo priores, eo esse consimiliores respiciamus. —

Haec igitur lingua, cuius indolem atque proprietates libro nostro expediéndas nobis proposuimus, praecipue viguit in electoratu Coloniensi, in comitatu Iuliacensi, in parte quadam comitatus Montium, in aliis nonnullis circa finibus, maiorem tamen occupans sinistrae quam dextrae ripae partem, hodieque fere eosdem fines obtinet: accuratius eam iusto iure notare licet nomine „niederrheinfränkisch“, siqui-

Digitized by Google

dem Franciae orientali iam pridem opposita fuit Francia rhenana [1]).

Ad septentriones versus haec de qua scribimus lingua in belgicam sive hollandicam, ad meridiem in dialectum Palatinatus rhenani sive „rheno-francicam“ transit atque dialecti mediae intercedunt ex altera parte Clivensis [2]), ex altera dialectus mosellana sive Trevirensis.

Quibus in regionibus, excitatum poësi gallica in Flandriis florente, iam inde a medio saec. XII. acerrimum vigere coepit artis poëticae studium maximaque in componendis carminibus industria atque hic primum, relicto inhabili illo et incondito dicendi genere, quale in carmine Hannonem celebrante et in eiusmodi aliis apparet, nova et correctior versuum ratio atque dictio elegans artisque plena in usum venere, quod genus in praecipuis saeculi XIII. carminibus tanta nos implet admiratione. Quodsi Henricum Veldeggensem, quem germanici mediae aetatis poëtae ipsi patrem reverentur comti illius et splendidi artis poëticae generis [3]), indidem fere oriundum fuisse reputamus,

---

1) Cf. Rudolfi ab Ems chronicam (in Graffii Diutisca, l. 66.):
. . Ostirfranken.
Da enzwischen und dem Rine lit
Rinfranken. zo der westiren sit
Duischer lande get ein ger
ubir Rin: des teilis ker
get iensit an welschiu lant,
alse Hollant und Brabant.

2) De hac linguae belgicae varietate vid. Gerhardi de Schueren, cancellarii ducis Clivensis, vocabularium „Teutonista, vulgariter dicendo der *Duytschlender*.“ Colon. 1477.

3) Er inpfete daz erste ris
in tiutischer zungen.
(Godofredus in Tristano).

Digitized by Google

Rheni inferioris regiones maximi videntur momenti esse ad illustrandam historiam poësis medii aevi, illius potissimum temporis, quod quasi praelusio quaedam est virorum literatorum animos tantopere capiens atque tenens, exeuntis inquam saeculi XII. — Itaque in omnibus fere huius saeculi carminibus linguae suevicae („mhd.“) intermixtas reperimus dialectos inferioris Germaniae, cuius rei exempla praeter poëma de Hannone compositum afferam poëma quod dicitur de rege Rothari, Chronica Caesarum, Conradi clerici de Carolo magno carmen epicum. Quamquam illo igitur tempore ad Rheni inferioris ripas ars poëtica maximo cum studio colebatur et uberrima exstabat poëmatum materia atque copia fabularum, rariora tamen ex insequentibus saeculis huius dialecti monumenta conservata nobis sunt, quam pro abundante proximae aetatis industria; etenim respicias oportet iam tunc in lingua suevica tantam fuisse vim tantamque auctoritatem, ut a Stiria usque ad Hassiam tamquam lingua communis dominaretur atque ex eo tempore ceteras Germaniae dialectos magis magisque reprimeret et quasi coërceret. Quisquis igitur gratiam sibi cunctae Germaniae literis erat collecturus, linguam aulicam puram profiteretur necesse fuit.

Unde factum est, ut quae nobis reliqua sint dialecti illius monumenta, praeter opera ecclesiastica, omnia fere ad res huius solius regionis pertineant, veluti commentarii rerum urbanarum, leges, syngraphae, id genus alia. Exstant complures praeterea libri scriptorum suevicorum atque belgicorum translati, si quidem codices manu scriptos operum his linguis principio compositorum tali nomine insignire licet.

Circiter medium saeculum XVI., et disciplina christiana et sermone patrio per Lutherum correctis atque emendatis, in his quoque partibus recentior lingua germanica quasi principa-

Digitized by Google

tum ac dominationem occupare coepit, et dialectus incultior humiliorque e literis expulsa in ora plebis descendit: suis finibus exiguis circumscripta linguae cedere coacta est locupletiori atque nobiliori, cuius vis et auctoritas ex eo tempore per omne imperium germanicum pertinet.

Linguae francicae Rheni inferioris, qualis per medium aevum fuerit, uberius perlustrandae praemittemus quae de veteris linguae francicae proprietatibus praecipue ex capitularis illius Hludoviciani conversione possunt expediri. Ad cognoscendam vero illam medii aevi dialectum si maxime Godofredum Coloniensem testem proferemus[1]), id potissimum sequimur, quod non modo urbs Colonia Agrippina princeps huius dialecti sedes domiciliumque praecipuum iudicanda est, verum etiam ex versibus rhythmoque finali linguarum indoles ac formae grammaticae accuratius certiusque percipi possunt. In citando Godofredi Hagenonis libro editionem ab Everhardo de Groote paratam[1]) sequemur, quippe quam nobis perpetua „versare manu" licitum fuerit: textum praebet codicis ineunte saeculo XV. conscripti, qui multos quidem versus suppositicios scribendique rationem non ubivis laudandam exhibens, vix tamen, adhibitis aliis linguae illius monumentis, veras quae auctoris propriae sunt formas non offeret.

Quae notis „Lachm. I" sive „L. I" et „Lachm. III" &c. designavimus poëmata a *Lachmannio* nobiscum sunt communicata (Über 3 bruchstücke niederrheinischer gedichte

1) Nota H. designatum.

2) Des meisters Godefrit Hagen, der zeit stadtschreibers, reimchronik der stadt Cöln aus d. 13. jh., mit anm. u. wörterb. nach der einzigen alten handschr. zum erstenm. herausgeg. von E. v. Groote, stadtrath. Cöln. 1834.

Digitized by Google

aus dem 12. und aus dem anf. des 13. jh.). — Literis »Wev.« significatur carmen »die Weverslacht«, libro Godofredi adiectum. — »Ott.« codex est chartaceus, quem possideo, haud dubie saeculi XV., in monasterio Linnichensi eleganter satisque correcte scriptus, titulo: »Van den gulden throyn der gemynder seleu«; continet in fol. 262 translationem libri illius ab Ottone de Passouwe anno 1386 compositi „Die XXIIII alten oder der güldene thron der geminden selen«. Extremo codici adiectae sunt 1. sententiae de sapientia divina e testamento vetere sumptae, alia manu exaratae, dialecto paene belgica (fol. 7); 2. nonnullae de moribus vulgi oratiunculae (fol. 4). — »Chr.« i. e. »Cronica van der hilliger stat van Coellen«, anno 1499 Coloniae typis J. Koellhoffii expressa. —

II.

De vetere lingua francica Rh. inferioris.

(altniederrheinfränkisch.)

E vocabulis germanicis, quae in lege Salica atque in Ripuariorum lege deprehenduntur, vix certi quidquam ad cognoscendam veterem linguam francicam Rheni inferioris depromes. Videntur tamen consonantes mediae (*b*, *g*, *d*) atque aliqua ex parte tenues quoque (*p*) et aspiratae (*th*) gothicum servare ordinem: Bodogast, Uuidogast, leud-, theod-, duropell-, morgangeba, brunia, stapulum (staffulum), hariraida &c. [1]).

---

1) Conquisiverit fortasse quispiam proprias linguae francicae formas in romanicis Galliae linguis; ea tamen linguarum germanicarum vocabula, quae romanicae linguae habent recepta, generatim gothicam rationem ostendunt. Cf. Diez. Gramm. ling. rom. I. 46. et 328. sqq.

Capitulare Hludovici regis e collectione Ansegisiana theodisce redditum lucrum nobis maioris momenti praebet [1]) Quae conversio quantumvis sit ad verbum expressa, tamen. summopere dolendum est, quod totius huius corporis translatio quae exstitisse videtur nobis non iam est servata. Pertinet singulare illud linguae francicae monumentum ad postremum saeculum IX. vel ad initium saeculi X.; dialectus est Trevirensis sive mosellana [2]). —

---

1) Eas potissimum formas inde depromemus, quas idoneas iudicamus et ad designandas huius dialecti francicae proprietates et ad illustrandam posterioris linguae consuetudinem.

2) Textum (vid. Pertz. Monumenta Germaniae historica III. 261. sq.), lectione Grimmiana in nonnullis locis deserta, libro nostro inserere liceat; e verbis margini ascriptis gravissima damus.

That ein iowelich man frier gewalt have, so war so se er wilit, sachun sinu ce gevene. So wer se sachun sinu thuruch salichedi selu sineru athe ce anderru craftlicheru stat athe gelegenemo sinemo athe sewemo andremo versellan wilit, inde ce themo cide innene wendiun theru selveru grasceffi wisit, in theru sachun thie gesat sint: wizzetahtia sala ce gedune gevlize. That avo [1]) themo selvemo cide, that er thiu sellan wilit, uzzene wendiun theru grasceffi wisit, that ist: athe in here, athe in palice, athe in anderru sumewelicheru stedi: samant neme himo athe vane sinen gelandun athe vane andern, thie theru selveru wizzidi leven [2]), theru er selvo levit, urcundun rehtliche; avur, avo'r thie havan ni mach, thanne vane andern, so weliche thar bezzera vundan mugen werthan, inde vora hin sachunu sineru salunga gedue, inde burigun theru geweri geve himo, ther thia sala infahit, geweri gedue. Inde ahter thiu sala so getan wirthit, geanervo sin selves [3]) neheina vona then vora gequetanen sachun mugi geduan irvangida. Thara uviri inde selvo thuruch sich burigun gedue theru selveru geweri, nio themu geanerven thegein ursach belive, thia sala ce bekerine, sunder mera not ana lige, thia thuruch ce gefremine. Inde avo nochthanne sachun sinu bit geanervun sinen gesunduruth ne havoda [4]),

---

1) abo. 2) levent. 3) thes selves. 4) baboda (leg. haboda).

Digitized by Google

A. **Vocales breves ab ratione veteris linguae alamannicae („ahd.") vix aut omnino non recedunt:**

a invenitur in vocabulis *sala, man, havan, sacha, that, haldan, gewalt, ander, gelando &c.*, praeterea in *vane* (*vane* ter legitur, semel in margine; bis *vona* scribitur), *avo* (idem atque *oba, ubi* linguae alamannicae; cf. *ab* in chrestom. Wackern. pag. 982,14 et 990,5) *athe* (alam. *odo*, in versione Isid. *odho*, apud Willeram. *ader, adder*).

e, vocalis *a* per *i* sequens mutata (i-umlaut des *a*), in vocabulis *sellan, here, gefremine, — sceffi, stedi, bezzer, ervo, wendiun, geendido &c.*

Soni fracti sive obscuriores *e* (*ë*) et *o* (*ó*) [1]) e gothicis *i, ai* et *u, aú* oriundi nondum latius vagari videntur quam in lingua alamannica:

neme, leven, gevan, gelegenemo, selvo &c., attamen *wilit, himo, lige, wisit, innene, wirthit, inde &c.*

vol, vora, bodun, gesprochanemo, solda &c., attamen *thuruch, sum, sun, uviri, mugi, bethungen,* (*bethuúngen*), *burigun, urcundo &c.*

---

ne si himo that ce ungevuorsamithu[4]); sunder geanervo siner, avo er gerno ne wilit, athe thuruch then gravun athe thuruch bodun sinen bethungen werthe, that thia sundrunga bit themo due, ce themo ther geendido ervetha[5]) sina wolda vollocuman. Inde avo sumewelicheru samonungun thia sellan bat, ganervo siner then wizzut bit theru kirichun vona[6]) themo vora gesprochanemo erve have, that bit andremo geanerven sinemo havan solda. Inde thaz behaldan werthe umbe then vader inde then sun inde then nevun unce cen iarun wizzetahtikhen. Ahter thiu selve sachun ce theru muzzungu theru selveru samunungun ergeven[8]).

5) ungeu vorsamidu. 6) ervida. 7) vane. 8) withiri geven (sic legendum pro witiri geven).

1) Litera *o* scilicet, aeque ac litera *e*, duos exprimit sonos, alterum *ó*, vocali *u* similiorem, alterum *ò*, vocali *a* latius prolatae propiorem. Sonus *ò* vocabulo *vona* tribuendus esse videtur.

Digitized by Google

Ex tribus igitur linguae gothicae vocalibus *a*, *i*, *u*, quas iure antiquissimas atque primitivas licet nominare, iam septem[1]) cognoscimus vocales breves esse exortas, quas pro cognatione inter ipsas intercedente hocce ordine collocemus oportet:

i ë e a ò ó u

Ut vero cuiusque soni origo accuratius insigniatur, stemma quoddam vocalium hac ratione delineabimus:

i   a   u
i ë   e a ò   ó u

Vocalis *a* cum *o* (*ò*) alternantis pauca afferri possunt exempla; magno tamen vocabulorum numero affinitas comprobatur inter vocales *a* et *e*, inter *i* et *ë*, inter *u* et *ó* intercedens. Tres illas radices, satis late adhuc patentes, aetate posteriori magis magisque videmus arefieri atque tantum non intermori.

Vocales longae exemplis haud satis confirmantur.

â invenitur in *sâlichedi*, *iârun*, *getân*, *grâvun*, *infâhit*.

î in *sî*, *frîer*, *sîn*, *belîve*, *cîde*, *gevlîze* &c.

ei in *ein*, *thegein*.

ê: *sêla*, *mêra*, *bekêrine*, *êraftlich* (ex emendatione Grimm.). In vocabulo *sâlichêdi* legitur *ê* pro diphthongo *ei* linguae alamannicae.

û (pro *û* alam.) *ûzzene*.

û (pro *uo* alam.) *dûe*, *gedûne*, *gedûan* (? *geduan*); scriptum est praeterea *ungeuvorsamitha*, quod probabilius legendum est *ungevuorsamitha*, quam *ungevôrsamitha* (Grimm.).

ô (alam. *ô*) *sô*, *nôt*.

Quum diphthongus *ei* una cum *ê* adsit, colligi licet, *ou* etiam iuxta cum *ô* exstitisse, ita ut in vocalibus longis potius

1) Nisi veteri linguae francicae sonum *ò* abiudicare malis.

Digitized by Google

ratio linguae alamannicae quam saxonicae servetur. Ex *ū* (pro alamannico *uo*) praeterea *î* (pro alam. *io*, *ie*) coniici fortasse potest, quum easdem vocales reperiamus in Lachm. I. — Vid. tamen diphthongos *ia, io.*

Itaque longarum vocalium ordo, additis linguae gothicae et alamannicae formis, sic se habebit:

goth.	ê	ô	ei	ai		iu			au	
alam.	â	uo	î	ei	ê	iu	io	û	ou	ô
fr.	â	û(uo)	î	ei	ê	(iu)	(î)io	û	(ou)	ô

Diphthongi, exortae e vocalibus flexionum cum radicis vocali contractis, non organicae, leguntur:

ia in *thia* (eam).

iu in *thiu* (ea, nom. sing. fem.; eae, eas), ideoque pro alam. *thiu* et *thiô*.

ie in *thie* (ii, eos; eae), alam. *thiê*, *thiô*.

io denique in *iowelich* pro vetustiori *êo*.

Vocales nullae praeter *a* breve per *i* sequens mutantur; *ă* non mutatum legitur in *ungervuorsamitha*, *irvangida, wizzetahtia.* Neque *a* longum neque *u* breve mutantur: *sâichêdi, infâhit; uviri, mugi, burigun* (antea *burigiun*) &c.

B. De consonantibus.

De consonantibus liquidis perpauca sunt dicenda. Consonantes coniunctae *nd* (pro goth. nþ) liquidam servant neque vocalem permutant: *ander*, *urcundo* &c.; cf. saxon. *ôðar*, *âðar*, cûð &c. —

rn legitur in *gerno*; *mb* in *umbe.*

Alamannica consonantium mutarum permutatio, »die lautverschiebung«, modo maxime imperfecto evenit: quae tamen res paulo altius est petenda.

Saepenumero iam in lingua gothica observatur, con-

Digitized by Google

sonantes medias pro aspiratis poni in interioribus vocabulis. Exempla sunt *b* (pro *f*): *bileiban* (λείπω), *abuh* (pro *af- uh*), *ubuh* (*uf- uh*); *g* (pro *h* [1]): *tigus* (δεκάς), *auga* (ὄκος), *tagr* [2]) (δάκρυ); *d* pro *th*: *sad* (lat. *satis*), *thadei*, *hvaduh* (pro *hvath- uh*), *fadar* [3]) (πατήρ) &c. atque probabile fit, medias in his vocibus aspiratione quadam fuisse prolatas, veluti: *bh, gh, dh.* — In fine vocabulorum inque aliis formis aspiratae restituuntur: *bilaif, lifna, af, uf*; *taihun, têhund, aih* (infinitivi *aigan*); *saths, sothjan &c.*

In lingua alamannica vero hic mos multo latius patet: formae gothicae *af*, *ufar*; *thuhan, fraihna, gaslahans, gataúhans*; *hvaþar, laþôn, liþjus, brôþar, bleiþs &c.* alamannice sunt *aba, ubar*; *dagên, vrâgên, caslagan, cazogan; huedar, ladon, lidî; pruodar, plîdi &c.* Quo factum est, ut verae mediae (goth. *baíran, guma, vigs, daúhtar, sidôn*), ne cum illis convenirent, durius et quasi plenius proferrentur (alam. [4]) *peran, como, wec, tohtar, situ, sitôn*), verae tamen tenues multo etiam durius atque crassius exprimerentur et in aspiratas *ph, ch, z* [5]) transirent.

Attamen in exprimendis eiusmodi aspiratis duplex ratio animadvertitur, altera sono leniori, magis simplici magisque spirantis naturam sequente: f, *ch* (*hh*), ȝ [6]) (ß); altera sono

---

1) *h* enim gothice pro aspirata ordinis gutturalis usurpatur.

2) alam. *zahar*.

3) angl. *father*.

4) „strengalthochdeutsch".

5) z locum aspiratae *th* occupavit; cf. angl. *hath* et *has*; σ in quibusdam dialectis doricis pro θ. — Hebraicum *thav* non dagessatum rabbinice ut *s*, ß sonat; ث arabicum apud Persas. — Simili modo *z ç* linguae hispanicae, cum *th* anglico, θ recentiorum Graecorum fere congruens, in ore Mexicanorum per *s* profertur: „los Mejicanos sesean". —

6) Deficientibus typis peculiaribus, signo ȝ utemur pro illo literae Z

Digitized by Google

crassiori, praeposita eiusdem organi consonante tenui: *pf, cch, z* (i. e. *tȝ, tß*). Quorum generum illud (*f, ch, ß*) in usu est, ubi simplex tenuis gothica vocali succedit: *slâfan, sprehhan, vuoȝ;* alterum vero (*pf, cch,* z)

1) duplici tenui gothicae aut formis *pj, kj, tj* respondet: *apfol* (anglos. *äppel*), *tropfo, sacch, brocchôn, scaz, sizzan*;

2) simplici tenui gothicae liquidam sequenti: *gelpf, helpha* (Otfr.), *scarpf, werphan* (Tat.), *scalches, danchôn* (i. e. *scalcches, dancchôn,* non autem *scalhhes, danhhôn*), *holz, herza* (non *holȝ &c.*).

3) simplici tenui gothicae in vocabulorum initio: *pfunt, chuninc* (i. e. *cchuninc;* cf. *khuninc, kikhundit* in Muspill.; *kh* in Graff. Diut. I. 207, 493, 494), *quhedan* (i. e. *qhuedan*), *zorn.* — [1])

Litera quae vocabuli prima est quum verum sonum diutius et melius servare soleat quam literae vocis interiores, manifestum est, crassiorem illum sonum vere aspiratum *ph, kh, th* sive *pf, cch, z* fuisse priorem et paullatim demum in alterum f, ch, ß emollitum esse, quemadmodum lingua anglosaxonica et islandica ab initio vocabulorum *th* tuetur, interius leniori ð utitur, lingua saxonica *thing* et *quiðu, fader* et *sibun, tvelivi* scribit. Qui sonus lenior postea, praesertim in lingua suevica inque recentiori lingua germanica, etiam eo nonnunquam irrepsit, ubi consonans liquida antecedit; exempla sunt *helfen, scharf, marschalch* (consonum cum *bevalch*), *arche* (arca, cista);

---

genere, quod, duce I. Grimm, nunc adhiberi solet, curvata linea inferiore.

1) Cf. angl. *ch* (*tch*) idem atque 1) anglos. *cc*: *wretch, kitchen*; 2) anglos. *c* post liquidam: *belch* (bealcetan); 3) anglos. *c* ab initio vocis: *child*. Contra *take, book* etc. —

Digitized by Google

conferantur tamen formae alamannicae: *waraf, sciluf, starah*, multaque similia [1]).

Sed haec mutarum consonantium permutatio quum ne in omnibus quidem linguae alamannicae monumentis, nedum in suevica et recentiori lingua germanica omnino custodiatur, tum praecipue in francica capitularis illius lingua parum longe progressa est.

Aspirata linguae gothicae hic servatur: *frî, gefremine; that, thar, bethungen, athe, werthan, ervitha; f* tamen leniori sono (*v*) prolatum fuisse videtur, ita ut plerumque *v* (*vane, vundan, vader, vol, avur, gravo, nevo &c.*) scribatur. De *f* in vocabulo *infâhit* (pro *intvâhit*) conferas *enpfâhen* linguae suevicae, *intfain* et similia linguae francicae medii aevi; *irvangida* per *v* exprimitur.

h gothicae linguae, quod in vocabulis *thaírh, naúh* est, hic per *ch* scribitur: *thuruch, noch;* interius *h* manet in voce *infâhit*, neque minus initio vocabulorum: *havan* [2]) etc.

Aspirata *th* quoque leniorem quendam sonum (*dh*) habuisse videtur, quippe cuius loco aliquoties *d* inveniatur: *irvangida* (tamen *ervitha*), neque minus in consonantibus iunctis *nd: ander, vundan, urcundo.*

Media linguae gothicae et ipsa manet: *bezzer, gerno, mugi, dûan, bodun, behaldan, wendiun, sunder, inde &c.;* interius tamen *b* sicut in linguis saxonicis et scandinavicis in aspiratam leniorem (*ƀ, v, fv*), quae hic *v* scribitur, transire solet: *avo, havan, selvo, ervitha*; in margine scriptum est: *abo, haboda.* Literae coniunctae *mb* solae mediam

1) Scriptio *tz* quodammodo barbariem redolet. Solum z quum idem sit ac *tȝ, tß*, idque pro *tth* sit positum, sicut *pf* pro *pph*: *tz* igitur foret idem ac ttȝ, ttß, idque pro ttth.

2) Scriptiones *Childobertus, Chlotaharius &c.* docent *h* antea sono fortiori prolatum fuisse, qualis tribuendus est verae aspiratae; cf. *h* in *ht, hs.* — Nostrum *h* ante *l, r, n, w* vix exprimi posset.

Digitized by Google

servant: *umbe.* Simili modo *g* interius aspirata *gh* fuisse videtur, quod quidem ex *ch* in fine posito (*mach*) colligi licet.

Inter consonantes tenues linguae gothicae *p* et *k* leniorem tantummodo aspiratae sonum induere solent, literis *f* sive *ff* et *ch* expressum. Exempla sunt *grâsceffi, sich, sacha, gesprochanemo, kirichun;* contra *palice* (alam. *phalinza*) [1], *urcundo, bekerine, cuman* (*coman*), *gequetanen* [2].

Tenuis lingualis tamen utrumque aspiratae genus agnoscit, alterum litera *z* sive *zz*, alterum vero litera *c* (*ce, ci*) expressum:

1) *gevlize, ûzzene, mûzzunga, bezzer, wizzut.*

2) *cide, ce, unce, palice* (*palince*?).

Vocabula *that* et *gesat* (positum) tenuem conservaverunt; semel *thaz* scribitur.

De consonantibus in exitu vocum positis hae sunt leges:

1) aspiratae *f, ch, z* et tenues non mutantur: *sich, welich, that.*

2) media *d* in *t* transit: *gewalt, sint* (sunt); *stat* (in dat. *stedi.* *Stat* vero et vocabula *bat, nôt, bit* (cum) in lingua gothica per *th* scribuntur. Semel quidem *gesunduruth* legitur, aspirata *th* in fine servata; attamen si praeterita *havoda, wolda* et participium *geendido* respicias, vocemque *wizzut* conferas, coniici licebit, *gesundurut* esse praeferendum atque etiam aspiratam *th* (i. e. *dh*) in *t* mutari.

3) media *g* atque spirans *h* in *ch* mutatur: *mach* (in coniunctiv. *mugi*); *noch, thuruch.*

v verisimile est in *f* transiisse.

Consonantes mutae in francica capitularis illius lingua hanc igitur habent rationem ad gothicae linguae consonantes:

---

1) Exspectari licet *helpan, werpan,* posterioris aetatis *helpen, werpen*; cf. *hilpit* apud Isid.

2) *c* gutturale ante *u, o* etc., *k* ante *e, i* scribitur; invenitur tamen *grâsceffi.* Aliis in locis *ce, ci* lingualem sonum exprimunt.

goth.	*p*	*b*	*f*	*k*	*g*	*h*	*t*	*d*	*þ*
franc. initio	p	b	v	k	g	h	z	d	th
interius [1])	f	v	v	ch	g	h	ʒ	d	th
in fine [1])	f	f	f	ch	ch	ch	ʒ	t	th (t)

Quibuscum comparanda est mutarum apud Isidorum francice conversum ratio:

p	b	f	ch	g(gh)	h	z	d	dh
f	b	v	hh	g(gh)	h	zs	d	dh
f	ph(p)	f	h	c	h	zs	t	dh.

Apud Otfridum

p	b	f	k	g	h	z	d	th
f	b	v	ch	g	h	ʒ	t	d
f	b	f	h	g	h	ʒ	t	d

In Tatiano translato

ph	b	f	k	g	h	z	t	th
f	b	v	ch	g	h	ʒ	t	d
f	b	f	h	g	h	ʒ	t	d

Varios huius permutationis modos ut uno quasi in conspectu videre possis, additis linguae saxonicae et alamannicae ordinibus, hacce ratione composui [2]):

---

1) Intelligendum est tantummodo de consonante simplici vocalem sequente.

2) S indicat linguam sax., C. francicam capitularis nostri, I. Isidori &c. A. (alamann.) i. e. *strengalthochdeutsch.* Qui in Keronis versione apparet consonantium mutarum ordo eadem fere ratione se habet:

ph	p	f	ch	k	h	z	t	d
f	b	v	hh	g	h	ʒ	t	d
f	p	f	h	c	h	ʒ	t	d

goth. ten.						med.						aspir.					
S.	C.	I.	O.	T.	A.	S.	C.	I.	O.	T.	A.	S.	C.	I.	O.	T.	A.
p	p	p	p	ph	pf	b	b	b	b	b	p	f	v	f	f	f	v
p	f	f	f	f	f	ƀ	v	b	b	b	p	v	v	v	v	v	v
p	f	f	f	f	f	f	f	ph	b	b	p	f	f	f	f	f	f
k	k	ch	k	k	ch	g	g	g	g	g	k	h	h	h	h	h	h
k	ch	hh	ch	ch	hh	g	g	g	g	g	k	h	h	h	h	h	h
k	ch	h	h	h	h	g	ch	c	g	g	k	h	ch	h	h	h	h
t	z	z	z	z	z	d	d	d	d	t	t	th	th	dh	th	th	d
t	ʒ	zs	ʒ	ʒ	ʒ	d	d	d	t	t	t	ð	th	dh	d	d	d
t	ʒ	zs	ʒ	ʒ	ʒ	d	t	t	t	t	t	ð	th	dh	d	d	d

Vides ordinem lingualem inter omnes longissime a statu gothicae linguae discedere atque permutationis illius legem constantissime observare; tabula mediae gothicae *d* respondens perspicue seriem nobis et quasi gradationem exprimit, quae inter varias linguae germanicae dialectos intercedit.

Pauca praeterea de literis consonantibus addenda sunt.

w plerumque per *uv* scribitur: *iouvelich, uvisil &c.* —

ft in vocabulo *êraftlicheru* quidem legitur, *ht* tamen habent vocabula *ahter* et *wizzetahtia* (ex emendatione **Grimm**)[1]; quae prima inter *ft* et *ht* cognationis exempla sunt.

ht legitur praeterea in voc. *rehtliche* (nondum *cht*).

h omittitur in *êraftlich* (ex emend. Grimm.); *ch* in voc. *sâlichêdi* simul literam *h* vocabuli *hêdi* complectitur (*sâlich-hêdi*). —

C. De *flexu* propter monumenti exiguitatem pauca tantum dicere licet.

Substantiva generis fem. primae decl. fortis ad lenem

1) De litera *t* in hac voce cf. *witat,* apud Grimm. gramm. II. 257.

flectendi modum sese inclinant, itaque *sacha* (res) in nom. et acc. pl. *sachun; samonunga* in genit. et dat. sing. *samunungun.* Leguntur tamen accus. sing. *salunga, sundrunga* et dat. sing. *muzzungu.*

Eiusdem declinationis genitivus singularis in *u* terminatur: *sêlu* (alam. *sêlô*). Tale *u* (pro *ô* linguae alamannicae) praeterea in genit. plur. *sachunu;* in adiectivorum nom. et acc. plur. fem.: *sînu, thiu* (etiam, vocalibus extenuatis, *thie*); gen. singl. fem. et genit. plur.: *theru, selveru, anderru &c.;* in participio praeteriti *gesunduruth* atque in nomine derivato *wizzut* (goth. *vitôth*) [1]).

Accusativus sing. generis masc. declinationis lenis in *un* finitur, liquida *n* nondum abiecta: *bodun, gravun, nevun* etc.

Adiectiva in nom. sing. generis masc. decl. fortis *er* nondum omnino amiserunt; leguntur *er, wer, ther, sîner, frîer,* tamen *ein, iowelich* sine flexu legitur. Adiectiva post articulum definitum in genitivo et dativo fortem flectendi modum sequuntur: *theru selveru, themo selvemo, themo vora gesprochanemo, then vora gequetanen* (dat. pl.; flexus lenis hic terminatione *un* uteretur).

Pronomina tertiae personae *himo, hin* (iis) cum spirante *h* inveniuntur; nominativus semper est *er. Himo* praeterea reflexivum adhibetur, cui accusativus est *sich*: qua in re igitur nostra linguae francicae dialectus propius ad alamannicae quam ad saxonicae linguae consuetudinem accedit.

Pronomen nostrum *iowelich* (quilibet) in dialectis superioris Germaniae fere nunquam invenitur; formae *thegein* et *negein* (*neiein* i. e. *nejein?*) propter mediam *g* (et *j*?)

---

2) Cf. *freuuuidhu,* gen. sing. Isid. III.; *iru, riferu,* gen. plur. Diut. I. 510; *guoderu slahdu,* gen. sing. Diut. II. 283.

Digitized by Google

notandae sunt. Exstant etiam pronomina *sumewelich* (quidam); *sô wer sô, sewemo, sô welich* &c. [1])

Ex coniugatione affero *wilit* (vult), quam formam etiam *Olfridus* exhibet, praet. *wolda; gesat,* part. praet. (pro *gesezzit*), vix in vetere lingua alamannica reperies.

havan, infin.; *have*, coniunct. sing.; *havoda*[2]), praet.

In praepositione *bit* litera *b*, ut videtur, locum liquidae *m* occupavit; notandae sunt praeterea particulae *uviri* (supra) atque *withiri* (retro), quod in margine legitur. —*unce,* usque ad.

Coniunctio copulativa semper vocalem *i* habet: *inde;* coniunct. condicionalis vocalem *a: avo*[3]); *athe* (aut) respondet formae *odho* (Isid.). — *sunder* (sed), *avur* (vel, iterum, sed).

Commemoramus denique, e lectionibus *wizzetahtia* et *wizzetahtikhen* duplex derivatorum genus coniiciendum esse, adiectiva in *ahti* atque in *ahtich* (cum flexu *ahtiges* &) i. e. *hafti* atque *haftich* exeuntia; sic in aetate sequente *echt* et *echtich, achtich.*

Derivata in *itha: irvangida* (repetitio), *ungevuorsamitha* (impedimentum), *ervitha* (hereditas); in *unga: sundrunga, samununga, muzzunga.*

---

1) *cen* iam pro *ce then: unze zen iarun* etc.

2) Cf. secundam coniugationem lenem linguae veteris saxonicae, quae simul tertiam linguae alamannicae coniug. complectitur, veluti in verbis *thagôn, sorgôn* etc.

3) Sic utraque particula pro variis linguae germanicae dialectis omnes vocales breves patitur: *anti, enti, indi, ond* (anglosax.), *unde; avo, ef* (vet. sax.), *ibu, oba, ube.* Idem observatur in particulis et praefixis *ur* (*ar, er, ir, or, ur*), *ant* (*and, ent, int, ont, unt*) etc.

Digitized by Google

DE LINGUA FRANCICA RHENI INFERIORIS, QUALIS FUERIT MEDII AEVI TEMPORIBUS.

A. De vocalibus brevibus.

Praemittenda sunt pauca de quantitate vocalium.

1) Negari non potest, longa vocali in vocum terminationibus extenuata atque deleta, vocales radicum breves ante consonantem simplicem [1]) positas magis in dialecto francica quam in lingua suevica fuisse vexatas et quasi turbatas: tonus gravior et fortior in ipsam radicem incidens brevem vocalem paulatim ad longitudinem admovere coepit [2]). Qua in re tamen inter singulas vocales discrimen quoddam est constituendum. Vocalis *a*, quippe quae inter omnes gravissima iudicanda sit et maxime plena, eadem

1) Consonantes *f*, *ch*, *ȝ* (*ss*) non iam simplices habentur.

2) Minime tamen animo concipere possum, vocales vere productas aliquantum longitudinis quasi amisisse vel in sonum medium atque ancipitem transiisse (*schwebelaut*). Communis enim lex ab omnibus fere linguis recentioribus servata est, ut breves vocales producerent, longas tuerentur. Cf. Diez. l. l. I, 116. sq.; 164, sq. — Grimm. ed. 3. I. 527. — Hic tamen (ibid. 280 sq.) belgico scribendi usu inductus in vocalibus natura longis sonum illum fluctuantem ponit. Belgice quidem scribi solet *slapen, spraken, laten*; formae tamen francicae *slaiffen*, *spraichen, laissen* et formae in ipsis libris belgicis frequentes *spraecken*, *braecken*, in dialecto Clivensi *spraicken* etc., sonum quendam ancipitem prorsus refellunt.

Digitized by Google

proxime ad *a* longum accederet, ne dicam, longitudini adaequaretur necesse fuit; itaque iam apud Godofredum Hagenonem sexcenties *varen : iâren, dale : ze mâle* et similia rhythmo finali iunguntur. Huc accedit, quod *a* breve, ratione qualitatis habita, non tam longe ab *â* discedit quam *e* ab *ê, ei* atque *o* ab *ô, oi, ou; ĭ* et *ŭ* praeterea vix suum sonum purum servaverunt. Vocales breves *e, ë, o* igitur saepissime quidem et ipsae, rhythmo finali inter se coniunctae, in versificatione ad eum rhythmum dissyllabum, quem *klingenden reim* nominamus, idoneae habentur, veluti

wildirs haven vromen,
ir sult zu ime komen.

vid. L. III. vers. 87 et 88; ibid. 93 et 94, 95 et 96, 104, 110, 139 et 140, 184 &c.; rarius apud Godofredum, qui versuum longiusculorum amans atque studiosus, rhythmo illo dissyllabo (⏑́ ⏑) etiam in quarta arsi utitur, cf. v. 1 et 2, 20 et 21 &c.; saepius vero in poëmate *Weverslacht:*

die wairheit hin ave

v. 39; cf. vers. 52, 82, 170 &c.

Perraro tamen propter qualitem soni diversam vocales *e, ë, o* cum *ê, ô* consonant. Apud Godofredum haec sola invenio: *êren : weren* 2193; *reiden (rêden) : lëden* 4210; *Jode*[1]) (nom. propr.) *: gôde* 5704 (*cf.* Wev. *: nôde* vers. 209); *sone : kône* 5057; *doren : voiren* 647; *dure : suire* 413 (*duir : suir?* — versus, ut videtur, interpol.); *vure : vuire* 1916.

Cuiusmodi tamen vocales rhythmo minus accurato coniunctas haud raro etiam lingua suevica, alias subtilissima, exhibet; vid. Grimm. ed. 3. I. 206 sqq.; inprimis, ut supra *sone : cône,* sic *sun* saepissime cum *tuon* consonat, neque inde probari potest, *ĕ* et *ê, ŏ* et *ô* (suev. *ŭ* et *uo*) omnino eundem in his vocabulis habuisse sonum.

1) Si quidem *Jode* hoc loco idem est ac Judaeus.

Digitized by Google

2) In formis syncope vel apocope exortis, ubi simplex consonans brevi vocali succedens consonantem terminationis contingit (*spăr-t*), vel, vocali in fine abiecta, simplex radicis consonans finem vocabuli occupat (*wal'*), crebro vocalis longa scribitur, praesertim saeculis posterioribus. Iam syngrapha quaedam anni 1261 *goitz* (i. e. *godes*) praebet; aliae ad saeculum XIV. pertinentes *goitz, geloift* (promittit), *ayn* (*āne*), *gemaint* (sed *bewart*), *aynge* (i. e. alamann. *anihho*, avus). Apud Godofredum scribuntur *wail, laifde* (v. 1044), *bezailde* (5363); *geweist, zweilve, kreiftz*, (4774). *leifde, heilt* (heros), *neimpt* (sumite); *voir* (i. e. *vŏre* 2542, 4804), *geloift, hoilde, gewoinde* (mos 6238), *vroimliche* (vers. 3592); *vuir* (i. e. *vŭre, vŏre* 1166) &c.

Chron. Coloniensis et codex Ott. fere in unaquaque pagina huius rei exempla praebent, qualia sunt *wail, gewair, dair, verzeirlich, geweirt* (suev. *gewërt*), *beer* (ursus), *zodeint* (distendit), *ontweinde* (desuescebat), *beifde, beweicht* (i. e. *beweget*), *pleichde* (curavit), *gebeits* (orationis); *woint* (habitat), *geloefft, moichstu* (*moges du*) atque id genus plurima.

In nullo tamen eiusmodi vocabulo apud Godofredum vocalis producta rhythmo finali comprobatur; contra *gespart* iungitur: *hart* 6094; *nacht* (*nachet*, nudus): *gemacht* 356; *wert* (defendit): *swert* 1224; *vert* (movetur) : *wert* 5203; *begert* : *wert* 298. — Wev. *bewart* : *part* 281; *geschart* : *Isenmart* 420.

Notandum est, in omnibus his vocabulis (praeter *nacht*) vocali succedere liquidam (*r*), unde colligi licet, primum in huiusmodi formis (*r-t*) vocalem fuisse elisam, eo etiam tempore, quo vocalis correpta accurate sentiri potuerit; mutis tamen antecedentibus syncopen nonnisi posterius esse factam, quum natura vocalium corripiendarum iam fluctuare coepisset. Itaque prioris generis syncopae etiam saeculo XV. brevem vocalem saepissime servare solent: in cod.

Digitized by Google

Ott. *begert*, *generde*, *wonde* et *woinde*; H. *verzert*, *werde* (duravit), *verhert* (devastatum), *zemde* &c.

Neque minus formae quales sunt *wail*, *gewair*, *ain* (i. e. *ane*), exortae vocali in fine abiecta, omni ex rhythmis Godofredi carent documento; *wale*, *vale*, *dale* et similia creberrime quidem : *ze mâle*, *vane* : *âne* H. 5877, *ane* : *ze verslâne* 175. iunguntur; ubi tamen *e* abiicitur, vocalis correpta manet : sic *an* (: *began* 1466), *af* (: *geselschaf* 1562); *af* (: *bodeschaf*, L. III. 73) &c.

Posterioribus quidem saeculis *wail*, *dair*, *gewair* in Chron. Col.; *wayl*, *scheyl* (strabo), *eyr*, *oyr* (i. e. *ere*, *ore*, alam. iru, irò), *wayr* (quo) in cod. Ott. vocalibus productis scribuntur, fere semper tamen vocabula *vil*, *an*, *van*, *hin* (*hene*), *mit*, *her* (huc, exercitus), *af* etc., quin imo saepius *gewar*, *ir*, *or* et similia hic quoque veram quantitatem servant. Quam ob rem verisimile est, ex huiusmodi quoque vocabulis ea, quae abiecta terminatione vocalem producunt, posterius demum, quae correptam tuentur, iam prius apocopen perpessa fuisse.

Omnis haec vocalium ratio proxime ad usum linguae belgicae accedit, quae tamen lingua in producenda vocali brevi longius est progressa quam francica, quum non solum *e* et *o* ubique cum *ê* et *ô* consonent, sed syncopae quoque et apocopae frequentiores quantitatem permutent. Qua in re lingua francica, quippe quae et posterius et parcius eandem viam et rationem inierit, medium tenet inter suevicam et belgicam.

Iam vero de singulis vocalibus correptis disserendum est.

a fere eadem praebent vocabula atque in lingua suevica. Exempla sunt *dal* (vallis), *alden* (senibus), *halden* (tenere), *salz*, *dar* (audeo), *arm* (pauper), *darf* (egeo),

Digitized by Google

warp (feci), *stark*, *dach* (dies), *nacht* (nox), *nacht* (nudus), *nande* (vocavit), *dachte*, *brachte*, *hadde*.

a cum *o* alternat in vocabulis *gewane : ane* H. 1322, *gewone* Ott., *gewonde* (subst.) H. 6238; *raden* et *roden* Ott. (nostrum *roden*, *rotten*, suev. *riuten*). *sal* (debet) saepissime : *dal* H. 312, : *al* 4396 etc., semel *sol : tol* 2347. *wale* (L. I. 39, 59) in L. III. saepe : *sale*; H. : *sale : dale* : *zale* etc.; semel *wol : tol* H. 2805 (? interpol.).

van nunquam per *o* (*vane : âne* H. 5877; L. I. 7. etc.), *holen* nunquam per *a* scriptum equidem repperi.

Pro utraque particula veteris linguae francicae *avo* et *athe* nunc *of* in usu est.

a locum vocalis ë occupavit in *hinderwartz* Ott. (H. *wert*, adversus); cf. belg. *waert*, *aerde*, holl. *aarde, hart*, *start* etc. — *a* in vocabulo *prisant* H. 481 (cf. vitam S. Elisab. in Diut. I. 359) e sono nasali linguae gallicae videtur petitum esse.

Vocabula *brachte*, *dachte* (*bracht*, *gedacht*) *a* corripiunt, quum utrumque et *gedacht, gelacht, vacht, nacht* (nox) et similia saepius inter se consonent: vers. 1843, 5128, 5132 etc. apud H.; cf. L. I. 8; L. III. 60. — Similiter *dunken*, *dochte* vocalem non producit.

De *e*, quod nonnunquam ante *rp*, *rk* etc. pro *a* scriptum legitur, videatur sub vocali *e*.

De *ai* quod pro *a* ponitur vid. sub *ai*.

E. 1. *a* breve per sequens *i* mutatum in vocalibus qualia sunt *sweren* (iurare), *gewenen* (assuefacere), *stede*, *brechte* (ferret), *hedde*, *resten*, *creftich*, *schentlich*, *genzlich*, *wonechtich*, *Engin* (Anna)[1]) etc. — *Mench*, *menich* pro antiquiori *manich*; *even* H. 2345[2]) (avena, ex gallico *aveine*,

---

1) *Kemergin*, *lemgin*, cod. Ott. —

2) Cf. *Evenmaint*, mensis Septembr.

avoine); *ever* (iterum H., sed Ott.) in capitulari *avur*, ex *avuri*, *avari* explicandum est, quemadmodum nostrum *über* ex *ubari*. — *Brengen* una cum *bringen* scribitur; *brengen: gehengen* Wev. 2 et 328, saepius in cod. Ott.; H. *bringen: dwingen* 5977.[1]) —

a saepe in coniugatione ex *e* restituitur: *brennen*, praet. *brande*, coniunct. *brende* etc., qua de re in coniugatione disputandum est.

2. *ë*, vocalis fracta sive obscurior ex *i* orta, invenitur

a) in vocabulis quae iam in vetere lingua francica *ë* exhibent: *bîspel* (H. 2916, 6131), *nemen*, *leven*, *geven*, *gelegen* (situs), *selve*, *swert*, *wert* (carus; adversus; de *wartz* vid. sub *a*), *sterz* etc.

b) in vocabulis, quae illic vocalem puram *i* habuerunt, et id quidem ante consonantem simplicem, cui vocalis terminationis (*e*) succedit, i. e. in syllabis apertis.

spele (dat. vocabuli *spil*), *vele* (idem quod *vil*), *neme* (alam. *nimu*) *nemet* (idem quod *nimt*, Ott.) *eme* (*himo* in capit.), *hene* (idem quod *hin*), *hemel, seven, bleven*, (manserunt), *gevet* (*gift*, dat), *sege* (alam. *sigu*), *legen* (iacere; *lige* in capit.), *kregen* (praet. verbi *krîgen*, adniti, tendere H. 2555, 4522), *reden* (vecti sunt), *rede* (Wev. febris), *neder*, *smede* (plur. vocis *smit*), *weder*, *seder* (suev. *sider*, postea), *mede* (*mit*), *sede, vrede*, *leder* (plur. vocis *lit*, membrum), *dese* (haec), *keselinc* etc.

In prioribus tamen monumentis (L. I, L. III etc.) huiusmodi vocabula saepius *i* servare solent: *dise* (L. I); *ime*, *mide*, *ride* (febris), *dide* (fecit), *nider*, *dise* etc. L. III; *mide*, *wider*, *ingesigele* syngraphae saeculi XIII.

Attamen vocalem sic quoque obscuriori quodam sono

---

1) Duae formae diversae distinguendae sunt: altera *bringen*, goth. *briggan*, forti flexu (*brang*, Otfr.), altera *brengen* (i. e. *brangjan*) flexu leni, praet. *brahta*; cf. *brensza* in ling. fris. —

Digitized by Google

(fere *ë*) prolatam fuisse colligi licet e variis conatibus rudiori modo factis, quibus sonus ille exprimeretur:

hiene, *wiedeme* L. I.; *diese*, *nieder*, *miede* syngr. anni 1261; *neyder*, *deyse*, *seygel*, *beyde* (preces) syngr. anni 1335; *widder*, *disse*, *siggel* syngr. anni 1351. (Vid. sub *i*). Apud H. rarius *i* servatur: *ire* (ei, dat. fem.), *ligen*, *krigen* v 4521 (inscitia, ut videtur, librarii).

De scribendi ratione *ligen* (iacere) praeterea conferendum est *liggean* linguae saxonicae, *ligghen* belg.; *ligan* alamann. quoque semper *i* per coniugationem tuetur. In pronomine *dese*, *dise* iam usus linguae alamannicae minime sibi constiterat: *theser* Tat., *diser* Notk.

In syllabis clausis rarius *e* invenio pro *i* linguae alamannicae et suevicae: *denc* syngr. 1261, quod vocabulum nonnunquam *deynck* scribitur in cod. Ott.; *bennen*, *dwengen*, *decke* syngr. 1351.

weche (hebdomas) H. 4523, 4529; Wev. *wechen* : *sprechen* v. 217.

Ambo haec vocalis *e* genera (*e* et *ë*) sexcenties inter se consonant; sola afferam exempla *bëde* : *stede* L. III. 93, *verde* : *wërde*, 245; H. in primis paginis *stede* : *bëde*, *volherde* : *wërde*, *wërt* : *vert*, *enbëren* : *generen*, *sëyen* : *gelegen* &c.; Wev. *stede* : *bëde*, *gëven* : *heven*, *lege* : *wëge* &c. Id quod tamen minus sono utriusque vocalis omnino aequali tribuere licet quam usitatae cuidam in componendis rhythmis incuriae, qualem quum frequenter apud praecipuos poëtas suevicos (vid. Grimm. l. l. 139), tum vero creberrime apud recentiores deprehendimus; praesertim quum usque ad hoc tempus nonnullae harum regionum dialecti tralaticium inter utramque vocalem noverint discrimen.

3) *e* aliquoties pro *a* positum invenitur, nulla tamen vocali *i* sequente, ante consonantes iunctas *rp*, *rw*, *rk* et ante *sch*. Haec sunt exempla: *scherp*, *sterk*, *esche*, *we-*

Digitized by Google

schen in cod. Ott ; *verve* i. e. *verwe* (color) in cod. *Alch.*[1]). Similem animadvertimus usum in lingua belgica: *waerm, scaerp, staerc* et *sterc;* holl. *erg, sterk &c.;* anglosax. *hearpe, stearc;* fris. scerp &c.

Nunc quidem hoc vocalis *e* genus eundem omnino sonum exhibet atque vocalis *e*, de qua supra (sub 1.) egimus; primitus tamen, sicut *ä* linguae anglosaxonicae et *a* recentioris anglicae, propius ad *a* accessisse videtur.

De diphthongis *ei* (*ey*), *ee* pro *e, ē* scriptis infra sub *ei* videatur; de vocali *i* pro *e* posita paulo post disseremus.

I saepissime inde a saeculo XIV. per *y*, rarius *ij* (de quo sub *i* videndum est) exprimitur; in cod. Ott. *i* fere nunquam scriptum exstat nisi in vocabulis *in, it, is, inde* (*jt, jnde*) similibus.

Ut ex antecedentibus intelligitur, numerus vocabulorum, quae primitus *i* habuerunt, valde imminutus est. Solet *i* servari tantummodo in syllabis clausis i. e. aut in monosyllabis aut ante consonantem duplicem sive geminatam [2]) atque consonantes iunctas. Exempla: *spil, vil, ir, wir, gir, in, hin, schif, ich, is, mit, smit, dit, it; wille, binnen, koninginne, kribbe, midde, schicken, schiffe, wichen* (cesserunt), *gerissen, sitzen, vischer, dwingen, binden, drinken, krimpen, vrist &c.* In eiusmodi tamen syllabis *i* sono quodam obscuriori (fere *ĕ*) proferebatur, sicut in lingua hollandica, danica et islandica recentiori; idquod non solum e scribendi ratione *bennen, dwengen* (vid. vocalem *ĕ*, b)) colligi licet, verum etiam ex monosyllabis in consonantem simplicem

---

1) Codex pusillus est quem possideo, dialecto leviter ad linguam suevicam inclinante, postremo, ut videtur, saeculo XV per partes latine et gallice conscriptus, de alchimia disserens.

2) Geminatis adnumeranda sunt *f, ch, ʒ* (sive *ss*).

Digitized by Google

exeuntibus, quae, vocali flexionis accedente, *i* in *e* mutare, i. e. sonum *ë* scribendo exprimere solent[1]). Exempla sunt: *spil, spele; ir, ere* (pronom. poss.); *nim, neme; smit, smede; lit, lede; dis, dese;* simili modo *mit, mede; vil, vele; hin, hene; in, ene* (eum); *gift* et *gevet; nimt* et *nemet.* Scriptio *lide, mide, vile* pro *lede, mede, vele* eodem iure evitabatur quo *drenken, scheffen* pro *drinken, schiffen,* ne congruerent cum *lîde, mîde, vîle* atque cum *drenken* (potum praebere) *scheffen* (scabinus).

Vestigia similis mutationis etiam sub *u* afferemus; conferatur vocalis *o* i. e. *ò* in *a* mutata in quibusdam inferioris Germaniae dialectis: *god, gades; hof, have &c.*

Invenitur praeterea *i* pro nonnullis aliis vocalibus usurpatum:

1) pro *î* (alam. *î*) apud H. *êwelich* (quilibet): *sich* v. 1051, 4565; *gelich* : *mich* 2027 atque alia adiectiva in *lich* terminata: *mich, sich* 122, 1794, 1844, 2100; *Heinrich*: *sich* 3210; *Dederich*: *sich* 3240 &c. Wev. *algelich*: *sich* 225; *rich*: *sich* 408; *hemelrîch*: *sich* 425.

wich (pugna): *sich* H. 3378, 5643; *krich* (certamen), quod vocabulum H. 3024: *mich* consonat, in cod. Ott. *kreich* (i. e. suevice *kriec*) scribitur.

2) pro *ê, ei* (i. e. *ei* linguae alamannicae): *hillich, hilge,* H.; *heilich* in syngr. saec. XIIII. inque cod. Ott. Pro *eirste* (*êrste*) aliquoties *irste* scriptum est: H. 41.

3) pro *é, ei,* quod est *io, ie* linguae alamannicae: *gynck* in *Chr.*, nondum ap. H.; *irgen, nirgen* (*eirgen, neirgen*) H.; *licht* (clarus) H., Ott.; *licht* (lumen) Ott., apud H. *leit* : *neit* 3937, 5357, 5387.

---

1) Itaque scribendi modus *widder, disse* (vid. sub *ë* b.), qui positione adhibita sonum illum obscuriorem exprimere conatus est, fere eandem vim habet atque *weder, dese,* i. e. *wëder, dëse,* vocali scilicet correpta.

Digitized by Google

Pronomen *wilch* (qualis), in cap. *welich*, ex *wêlich* (i. e. *wêolich*) exortum, syngr. saec. XIIII., H. &c.

4) pro *e* et ë ante *ns*, *nst*, *nsch* : *minsche* H., Ott., Chr.; *vinster* (fenstra) H., *gepinse* (cogitatio) Ott., idemque in voce *mirken* [1]) (animadvertere) Ott., Chr. Similiter se habent vocabula linguae belgicae *peinsen* sive *pensen*, *veinster*, praecipue in dialecto brabantica *meinsch*, *weinsch* (holl. *mensch*, *wensch*) &c. *Sinte*, *sente* (*sint*, *sent*) e gallicae linguae *saint* (sanctus) [2]).

In flexu praeterea inque aliis vocum terminationibus superiora inprimis monumenta creberrime vocalem *i* exhibent, qui usus ad Rhenum inferiorem per longum tempus observabatur. Exempla sunt L. I. *willin*, *minniste*, *weininde*; syngr. saec. XIII. *vodis* (advocati), *dis* (i. e. *des*, artic.), *dit* (artic.); syngr. saec. XIV. *allit*, *bebûwit*, *bestedigit*. Apud H. sexcenties (*vermogit*, *wîsit*, *allit*, *dagis*, *urlogis*, *sînis*, *guedis* *râdis*, *landis*, *godis*, *degin*, *verbolgin* *&c.*), plurimum in flexu *is*; Wev. *dunkit*, *allit*, *gewagin* (narrare) &c. Semper *it* (illud), Chr. *idt*, scribitur, plerumque *is* (eius); particula negat. L. I. *in*, L. III. *en* et *in*, syngr. XIII. *in* et *en*, syngr. XIX. *in*, H. *en* et *in*, Ott. *in*, Chr. *en*. —

Quam scribendi rationem etiam in poëmatis reperimus de Hannone deque rege Rothari scriptis, in Chron. Caesarum inque aliis, quae per librarios a Rheno inferiori oriundos exarata esse videntur, veluti Diut. I. 2. sqq. 48 sqq. &c.

De *o*, *u* pro litera *i* scriptis videatur paulo post.

O. *O* et *u* vocales breves vix disiungere licet. Ut

1) Iam apud Wernherium a Rheno inferiori oriundum; vid. Grimmi edit. 39, 34.

2) *i* in vocabulo gallico ex suppressa litera *c* exoritur.

Digitized by Google

enim *i* ubique sono quodam obscuriori[1]) proferebatur, ita *u* quoque (cf. *u* breve linguae danicae) propius ad sonum *o* accedere atque in *ó* abire videtur.

O i. e. *ó*[2]), similiter atque ë, invenitur

1) in vocalibus, quae iam in vetere lingua francica et alamannica *o* exhibent: *vol, bode, gesprochen, noch, solde,* quae omnia in capitulari invenies; *dolen, zol* sive *tol* (telonium), *hore* (luto), *verloren, wonen, erkoveren, hof, gevochten, geworpen, golt* (aurum), *holt* (propitius) &c.

2) in vocabulis quae in vetere lingua vocalem *u* habuerunt, fere semper in syllabis apertis, creberrime in syllabis clausis: *mogen* (capit. *mugen*), *over* (*uviri*); — *dogent* (virtus), *koninc, verloren* (praet.), *mole* (mola), *ovel, Lodewich;* — *gonnen* (infin.), *wonnen* (praet.), *scholt* (causa), *erworven* (praet.), *worden* (praet.), *sonder* (sine), *wonderen, gesont* (sanus), *gewont* (vulneratus) &c. haec omnia apud H. In vetustioribus vero monumentis (L. I, syngr. saec. XIII.) vocalis *u* praeferri videtur et apud H. eadem vocabula per *u* scripta leguntur, quin imo *begunde, cunde* (potuit) L. I.; *Bunne* (nom. propr.) H., *hultz* H. 1144, 5580, *stultz, Overstultze* 1143, 4607, 4664. &c. In L. III. eiusmodi vocabula per *u,* superscripta minuta litera *o,* exprimi solent: *uͦp, kuͦmen, vruͦmen, zuͦge, kuͦninginne, kuͦnne* (genus), *vuͦrste, duͦrg* &c.

Idem exhibet apologus ille a I. Grimm in editione libri Reinhart Fuchs communicatus „der Lewe,

1) Non parvas tamen hac in re differentias probemus oportet pro varia monumentorum aetate atque pro variis dialecti generibus.

2) Alter sonus *ò* fortasse iis tribuenda est vocabulis, in quibus *o* cum *a* alternare solet (vid. sub *a* et paulo post). Sed quum rhythmi finales nullam huius rei ducant rationem atque dialectos quae nunc sunt vocalis illius (*ò*) usum nimis extendere apertum sit, vix quidquam certi in hac re dubia poterit explorari.

Digitized by Google

Brune inde Reinart," veluti: *vͦunden, sͦunder*; cf. Diut. I. 2. sqq., 48. sqq. &c. Quae tamen omnia nihil aliud sunt quam rudiores sonum *ó* exprimendi conatus; vera enim diphthongus *uo* nulla ratione comprobari potest. Quodsi denique Hagenonis rhythmos finales respicimus, quales sunt *kuren*: *zevoren* 87, *duren : zevoren* 2471, *ducht* (virtus): *mocht* (potestis) 529, *begont : kunt* 6117, *gonde : munde* 605, *duchte : mochte* 690, *hulde : solde* 4184, *unhulde*: *wolde* 738 : *solde* 3040, *gulden* (solverent): *solden* 1185, *begonnen*: *kunnen* 4282 et permulta eiusdemmodi, haud magnam statuemus gravitatem diversis illis scribendi rationibus; solum admittere licet pro monumentorum aetate et pro singulis huius dialecti varietatibus vocalem *u* quoque sono magis minusve obscuro pronunciatam fuisse. In cod. Ott. *u* rarius quam in ceteris reperitur; leguntur *son* (filius), *dorch, geborchte* (arx), *orconde, sonde, konst, honger &c.* quin *bosschoff, boschdom* (vid. sub *u*).

vor, quod et *vora* et *vuri* veteris linguae reddit, pro utroque iam L. I. 9, 10, 104; L. III. (v. 159, 182 etc. legitur. Syngr. XIII. *vor*, syngr. saec. XIV. *wr, vur*, H. plerumque *vur* (pro vetere *vora* 199, 870, 1011, 1618, 1857 etc., pro *vuri* 168, 178, 286 etc.), aliquoties *vure*, raro *vor* 4427, *voir*, 98; in cod. Ott. *vor*.

De adiectivi *los* H. 454 (solutus) vocali correpta, vid. Grimm. ed. 3. I. 376; composita habent *lois : vredelois* H. 2933; *eirlois, truwelois*, Wackern. chrest. 723, sqq. —

Dochte, praet. verbi *dunken*, sicut *dahte, brahte* vocalem non producit; consonat cum *mochte* H. 690. —

Praeterea *o* nonnunquam pro aliis vocalibus scriptum invenitur:

1. pro *oi* (i. e. *uo* linguae alam.) in voc. *gesocht : zocht* H. 2002, *gerocht : gesocht* 5091, particip. verborum *soiken* (*soichen*), *roicken* (*roken*); L. I. scribitur *sûhte* v. 106.—

Digitized by Google

stont pro *stoint* (stetit) in codice Ott. —

2. pro *oi*, *ó* (i. e. *ou* linguae alamann.) in voc. *verkocht* Ott., *gelochte* Ott., a verbis *verkoiffen* (*verkouffen*), *geloiven* (*gelôven*).

3. *o* et *a* nonnunquam alternare supra (p. 23) exposuimus. In cod. Ott. leguntur *orloge* et *orlage*[1]) (*orloge* H.), *och* (interiectio); recte *brudegom*.

Mochte, praet. verbi *mogen*, per *a* scriptum est L. I. 30.

4. Pro *e* (i. e. *a* per sequens *i* mutato) scribitur *o* aliquoties in cod. Ott. in vocabulo *geschofde* (alibi *geschefde*, creatura). Conferatur vocalis *ö* linguae suevicae, Grimm. I. l. 155 et 224. —

5. De *o* pro *ë*, *i* scripto atque de vocali *o* ex *w* orta sub *u* videatur. De diphthongis *oe*, *oi*, *ou*, quae passim pro *o* positae leguntur, vid. sub dipht. *oi* et *ou*.

Quaeritur, num *o* breve per sequens *i* mutetur; de hac re infra disputabimus.

U. De hac vocali iamiam sub *o* actum est. In syllabis apertis perraro *u* scribitur, posterioribus saltem saeculis: H. *dure* 3922, plerumque *durch*, *dur* 5555, in cod. Ott. *dorch*; H. *vure*, plerumque *vur*; *duren* (portis) H. — Per *u* fere constanter scribuntur *up* (L. III. *ůp*), *uns*, *under*, *umbe*, inprimis vero vocabula, quorum terminatio in vetere lingua vocalem *i* exhibet quaeque proinde in recentioribus dialectis per *ö* (*ü*) pronunciari solent : *sturtzen*, *muntze*, *wunschen*, *rucge*, *rucken*, *drucken*, *mudder* (mensor H. 3811), *lutzel*, *schutze* (sagittarius), *kussen* etc. quamquam in cod. Ott. etiam *sonde*, *sonder*, *jonger* (discipulus) et similia leguntur. Videbimus infra, num iam saeculis XIII. et XIV. soni illi *ü* sive *ö* tribuere liceat.

---

1) Semel *orlige*; cf. *urliuge* linguae suevicae.

Digitized by Google

Existimaverit fortasse quispiam, similem inter *u* syllabae clausae et *o* syllabae apertae exsistere vicissitudinem, qualem inter *i* et *ë* supra (sub *i*) observavimus. Exstant nonnulla talis quoque mutationis vestigia, veluti ap. H. *sun* v. 2 etc. et *sone* 5057, *sonen* 4946; *ducht* 424, 529 etc. et *dògentlich*, 141 etc.; rariora tamen eiusmodi fore exempla, vel inde colligere licebit, quod *o* scribendi ratio in clausis quoque syllabis magis increbruit quam *e*; itaque in cod. Ott. etiam *son*, *docht* scripta reperiuntur.

u praeterea nonnunquam scribitur:

1. pro *i* sive *ë* : *busschoff*, *buschdoim* H. et syngr. saec. XIV; *bosschoff*, *boschdom* in cod. Ott.; *busschoff* et *bysschoff* Chr.; *ducke* (saepe) H. 1183, 3740, *decke* syngr. XIV, *ducke* et *dicke* Ott., *dicke* Chr.; *Lumburch* et *Limburch* H. 5599, 5714, 5747, *Lemborch* syngr. saec. XIII; in pronominibus *un*, *ume* et *ome*, *ore* et *hore* : *un* in chrest. Wackern. 726, syngr. XIV, Ott.; *ume*, *ome* syngr. saec. XIII.; *ur* H. 4252, 4944, 6043; *or*, *ore* syngr. XIII., H. 5417, syngr. XIV., Ott.; *oir* Ott.; *hore* syngr. XIII. — Etiam *hulpe* (auxilium Chr.) huc referendum esse existimo; cf. *sulve* (ipse), *sulver* (argentum) in dialectis inferioris Germaniae; quamquam vocalis *u* originem trahere possit ex illa vocalium mutatione, qua coniugatio verborum fortis nititur; recentioris tamen linguae vocabulum *hülfe* suevice nonnisi *hilfe*, *helfe* profertur. Cf. Grimm. l. l. 221. — Apud H. solum *helpe* ligitur.

Ummer (syngr. saec. XIV., H., Ott., Chr.) pro *immer*, idque pro *iemer* (quod est in syngr. saec. XIII.).

2. pro *ó* (alam. *ô*) : *sulch*; in syngr. XIII *sulich*. Similiter se habet atque *wilch* pro *wêlich*, vid. sub *i*, 2. —

3. pro *oi*, *ou* (*ou* alam.) in vocabulo *bungart* H. 3520, syngr. anni 1352. —

4. pro *ui* (*iu* alam.) in *vrunt* apud H. saepius : *kunt*, *stunt* (hora) &c.; *vrunden* : *vonden* 4935.

Digitized by Google

5. *u* nonnunquam ex spirante *w*, oppressa vocali sequente, originem trahit. Exempla sunt *cumen* (L. I) sive *komen* pro *quëmen*, *gekomen* pro *gequomen*, *suster* pro *swëster*, *tusschen* (syngr. anni 1261, H. et ceteri; cf. *zuschen* chrest. Wackern. 725.); cuiusmodi usus in lingua anglosax. et island. multo latius patet: Grimm. l. l. 341 sq. et ed. 1. I. 311. —

De *ů* pro *u* (sive *ó*) scripto videatur sub *o*, 2. De diphthongo *ui* pro *u* usurpata sub diphthongis disserendum est.

Y. De hac vocali sub *i* videatur.

Iam vero quum omnes has de quibus proxime egimus vocales respectamus, septem videmus easdem vocales breves, quae in vetere lingua francica apparuerunt.

Vocalis *a* cum *o* alternantis paulo plura afferri potuerunt exempla; nova accedit inter *a* et *e* affinitas (vid. *e*, 3.), atque immensa nunc vocabulorum copia *i* in *ë*, *u* in *ó* permutavit. Soni illi obscuriores sive fracti, in lingua gothica perpauca tantum vocabula inficientes, paulatim mirum in modum progressi sunt atque quasi propagati. Primum veterem linguam alamannicam, haud secus linguam francicam et saxonicam magna eorum agmina invaserunt; deinde vero in dialectos inferioris Germaniae inde a medii aevi temporibus tanta suboles nova subsecuta est, ut ipsae vocales primitivae vix integrae atque purae in locutione invenirentur. Itaque quum tres hac in re distingui liceat aetates, ratione habita primum linguae gothicae (I), deinde linguae veteris francicae et alamannicae (II) ac nostrae denique medii aevi dialecti (III): varia soni illius obscurioris genera A et B, quae supra (ubi de ë et ó egimus) numeris 1. et 2. designavimus, hisce tabellis proponemus:

Digitized by Google

	A.		B.	
I.	i	u	i	u
II.	ë	ó	i	u
III.	ë	ó	ȩ	ó

Exempla sunt generis

A.	I. giban,	II. gevan,	III. geven.
	I. fulls,	II. vol,	III. vol.
B.	I. viþra,	II. widar,	III. weder.
	I. sunus,	II. sun,	III. son.

Quaeri potest, utrumne vocales *e*, *o* generis A, ex aetate secunda traditae, per tertiam aetatem (i. e. in lingua francica medii aevi), quum vocales *e*, *o* generis B accesserint, suum sonum servaverint, ideoque cum advenis aetate posterioribus omnino consonuerint, an in alium sonum sint progressae. Complures quae nunc sunt Rheni inferioris dialecti vocales *e* et *o* generis A per *ä* et *ò*, vocales *e* et *o* generis B per *ë* et *ó* pronunciare solent, ita ut probabile fiat, vocales *ë* et *ó* secundae aetatis, a nova subole quasi loco suo motas concursumque evitantes, per ordines illos [1])

i	ë	e	a
u	ó	ò	a

altius paulatim ascendisse longiusque se a stirpe subduxisse. Sin vero antiquissimae illae et purissimae vocales *a i u* adeo factae sunt mancae atque degeneraverunt, ut vix ac ne vix quidem sola vocalis *a* sibi ipsi constiterit: haec sonorum obscuratio dialectis illis communis est cum linguis plurimarum gentium septentrionalium atque maritimarum, quae linguae et fuscis sunt vocalibus et sibilis blaesisque consonantibus. —

1) Cf. p. 9.

Digitized by Google

Sed haec hactenus. Angustiores dissertationis huius fines et termini omnem quae reliqua sit de lingua francica doctrinam tanta tamque accurata cum diligentia, quanta percupiverimus, nos vetuit exponere.

Haec igitur sunt quae inchoata et adumbrata propitio Virorum Illustrissimorum iudicio debita cum reverentia nec sine verecundia quadam subiicere voluimus, quaeque, si Dii favent, iteratis solidioribusque inquisitionibus et locupletabimus et corrigemus.


LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

Digitized by Google

VITA.

Natus sum Juliaci a. MDCCCXIIII patre Josepho Wahlenberg, matre Elisabeth Euler, quos ambos morte praematura iam pridem abreptos mihi lugeo. Fide educatus sum catholica. Primis literarum elementis in oppido patrio imbutus, postquam inde ab anno MDCCCXXIX in gymnasio Coloniensi, quod clarissimi Birnbaum auspiciis floret, ad altiora studia praeparatus sum, testimonio primae notae instructus universitatem petii Herbipolensem. Viri clarissimi, quorum scholas et philosophicas et philologicas Wirceburgi frequentavi, sunt Dr. Leiblein, P. Richarz, Joh. Jac. Wagner. Per tres deinde annos Moguntiae atque Confluentibus in cohorte tormentaria merui: anno vero MDCCCXL interrupta per longum tempus studia linguarum veterum, inprimis germanicarum Bonnae continuavi, ibique praelectiones audivi virorum Cl. Cl. Arndt, Diez, Heimsoeth, Lassen, Loebell, Ritschl, v. Schlegel, Schopen et per annum dimidium exercitationibus seminarii philologici, quod moderantibus Ill. Ritschl et Welcker floret, haud parva cum voluptate interfui.

Quibus viris omnibus pro suis cuiusque in me meritis maximas quas possum ago gratias.

Digitized by Google

Sententiae controversae.

---

1. *Nulla fuit lingua primitiva, omnium linguarum fons et origo.*
2. *Lingua latina non est dialectus graeca.*
3. *Vocalium mutatio* „umlaut“ *assimilatio est.*
4. *Est vocalium per sequens* a *mutatio* (a-umlaut).
5. *Vocalis fracta* io *sive* iö *veteris linguae scand. non ex* ia, *sed ex* i *per* u *sequens mutato explicanda est.*
6. Ch *initiale veteris linguae alamann.* cch *est.*
7. Tz *idem est ac* z.
8. *Coniunctio concessiva* ain *Godofredi Hagenonis ex* alleine *contracta est.*
9. *Vocabuli* viur (feuer) *veterrima forma est* fuïr, fûir.
10. *In Chron. Godofr. Hag. v. 6171 restituendum est* werz *i. e.* wert's:

    We wert's, we holt dem anderen sy?

11. *Versum 295 poëmatis* Weverslacht *scribo:*

    Moist dat doich der quijt sijn.

Digitized by Google

Digitized by Google